



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXV. De probatione juramentum, Et de diversis juramenti speciebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

trarias fortiores probationes pro qualitate facti, cuius potius, quam juris est ista quæstio, ideoque certam non habet regulam.

Atque in quadam facti contingentia, seu quæstione confinium inter duo loca dicebam, quod ubi probationibus hinc inde invicem colluctantibus vel se destruentibus, res omnino ambigua sit; præsumptio esse videtur pro pertinencia territorii intermedii æqualiter pro mensura populi utrobique viventis pro rata, seu cum debita proportione, non quod id perfectè concludant, sed ad effectum inducendi præsumptionem, quæ coadjuvet probationes illius, cui ipsa assistat, ac debilitet probationes alterius cui resistat.

De probatione per juramentum; Et de diversis juramenti speciebus.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**e magna*vni*, & operatione juramenti, & de immutatione morum super eo.
- 2 Quare antiquitus tanta virtus, & operatio ei tributa sit.
- 3 Quod hodie transferit in quandam consuetudinem; ideoque non adeo ei deferendum.
- 4 Quomodo hac operatio debeat hodie regulari.
- 5 De pluribus juramenti speciebus.
- 6 De juramento litiis decisivo seu purgativo & de eius antiqua operatione.
- 7 Quid hodie dicendum sit, & an illud sit in usu in criminalibus.
- 8 Quid in civilibus in quibus dicitur juramentum partiti, aut iura, aut iuro.
- 9 De juramento tertii quod rem non habeat, neque dolo defterit possidere.
- 10 De juramento suppletorio.
- 11 Quando istud juramentum facilius admittatur.
- 12 De juramento prestando per creditorem immisum in salviano super notula fructuum.
- 13 De juramento in item, quando, & quomodo illius sit locus.
- 14 De juramento confirmativo contractuum altiarumq; dispositionum.
- 15 De eodem & quas operationes faciat.
- 16 De juramento calunniae.
- 17 De eodem, & an eius omissione causet iudicii, & actionum nullitatem.
- 18 De juramento fidei, seu asscuracionis.
- 19 De juramento prestando in susceptione munerum, & officiorum.
- 20 De juramento prestando per administratores, vel Appaltatores rerum fiscalium.
- 21 De aliis ad materiam juramenti.

D I S C . XXV.

IN utroque jure, civili, & canonico magis vero in hoc posteriori, magna est vis, ac operatio juramenti; Majore inquit illam facit antiquorum Canonistarum, & Moralium sensus, vel pietas, adeo ut plura desuper habeantur, non parva volumina, quæ ab uno, ac altero scriptorum genere desuper composita sint, pluresque habeantur quæstiones, inter utriusque fori ecclesiastici, & secularis, vel respectivæ interni, & externi professores.

Verum(ut alibi plures advertitur) tit. de alienat.

& contrac. disc. 260. & tit. de cred. disc. 116. & alibi. ob immutata tempora, immutatosque mores, de equivoco forte Moderni redarguendi videntur, sub antiquorum fide, simpliciter ac indefinitè eisdem operationes admittendo; Quamvis etenim apud Deum, omni tempore damnatus sit, ac peccaminosus perjurii reatus, quando scienter, ac dolosè sequatur; Attamen, morum, ac temporum diversitas, magnam desuper induxit immutationem, unde propterea, ex regula juris cessantis cause, sive cessantis rationis, quamplures effectus pro meo iudicio cessare videntur, ideoq; erroneum est, cum antiquiorū traditionibus non reflectendo ad casū circumstantias generaliter ac indefinitè procedere.

Antiquiori etenim tempore, cuius moribus attentis, tam leges, & Canones, quam primi Interpretes loquuntur sunt, ad juramenti interpositionem, nonnisi raro, & ex magna causa, prævia consilii maturitate, ac effectum exinde resultantium certioratione, devenerebatur; Tum ob graves penas corporales, quibus de perjurio convictus subjacebat, & presertim, juxta aliquarum regionum mores ilam amputations manus dexteræ, eod. disc. 116. Tum etiam ob magnam infamiam notam, quam non quidem juris tantum, ac idealiter, ut hodie incurri Moderni tradunt, sed defacto in hominum, ac populorum opinione; Unde propterea ratus erat huic modi reatus incursus, magnaque de consequenti rationabiliter erant juramenti, ita solemnitater, ac mature præstiti operations.

Hoc vero, ob niuum frequentem illius usum, id in abusum transiisse recte dici potest, dum in quolibet levi actu, pro Notariorum styllo, vel formulario, sive pro clausulis apponi solitis, illud interponitur, adeo ut ipsi jurantes, neque sciant, neque cogitent, quid agant, unde propterea, neque peccare credunt, nullaque de facto infamia, vel turpitudinis nota incurritur; Et per consequens recte intrare videtur præstatum argumentum à cessante causa seu ratione; Non quidem, ut omnino jurandii religio contemni valeat, vel quod sæculari potestati concedendum sit illi directè derogare, vel dispensare; cum ea, quæ genericè desuper in iure presertim canonico statuta sunt, utpote ratione peccati, ac reatus apud Deum disposita, etiam hodie, omnique tempore vigent; Sed ut ad huiusmodi temporum, ac morum differentiam reflectendum sit pro congrua applicatione.

Nimium etenim improbabile videtur pro reatu, etiam ad effectus civiles, culpabiles ac punibiles illos reddere, qui nunquam peccare, vel delinquere cogitarunt; Ac propterea, pro facti qualitate, huiusmodi operationum applicatio regularia videtur, inspecta scilicet principaliter earum ratione(ut homines tanquam animalia rationalia decet) non autem, quocumque rationis usu, vel discursu negligendo, brutaliore, cum solis predecessorum vestigiis procedere, illaque insequi, non reflectendo, quod ipsi attenta suorum temporum conditione, atque huiusmodi operatione, vel ratione vigente, hecne huiusmodi semitas calcarent, quas hodie non nisi ad limites earum causæ, vel rationis simpliciter calcare erroneum est, ac irrationalib; infra disc. 35. & in relatione Curia ubi occasione agendi de Rotas, agitur de modo judicandi disc. 32.

Plures itaque juramenti species in jure habentur; Sive plures sunt causæ, vel occasiones, ob quas juramentum, quod idem ac unicum est, præstari solet, ideoque illud diversa recipit vocabula; Aliud enim est juramentum, quod decisivum dicitur; Aliud vero quod suppletivum; Aliud quod confirmativum.

mativum seu approbativum actus alias invalidi, quod fidei etiam dici solet; Aliud quod in item dicitur; Aliud quod calumniæ appellatur; Et aliud quod est solemnitatis, seu veritatis indicativum, de his speciebus DD. quid de hac materia formiter tractant, & præsertim Seraphin. Mancin. Guttier. & Del. Bene.

⁶ Quatenus pertinet ad primam speciem, quæ est una de speciebus probationis, atque subjectam materiali percutit; Juramentum decisivum, quod alias purgatiæ nuncupari solet, pro diversa causarum, vel judiciorum qualitate, ut scilicet in civilibus prius in criminalibus autem posterius vocabulum, à Practicis adhibetur, illud est, quod ab una Partium ad sive actionis, vel respective exceptionis, aut defensionis, sufficientem probationem præstatur.

In inspecto siquidem jure canonico seu ecclesiastico, Tanta erat antiquitus juramenti reverentia, & existimatio, ut de gravibus criminibus imputari, absque alio processu defensivo, cum sola huiusmodi juramenti purgatiæ, publica ac solemnis præstatione, sive innocentia sufficientem inducerent probationem, atque absolutionem, omnisque maculae ablationem reportarent; Ut etiam in magnis Prelatis, iisdemque Summis Pontificibus, ita à gravibus imputationibus apud Imperatores, aliosque Principes se exculpantibus, sacra, vel ecclesiastica pagina docent, tit. Decretal. de purgatione Canonico.

⁷ Ex rationibus autem supra recentis, Hodie ista defensionis, vel excusalionis species, in omnimodam defuetudinem abiisse videtur, quoniam Criminisflarum stylus est quoties ex defectu concludentis probationis, vel ex aliqua ejus energetione, que refutet à probationibus Partis, ita res in ambiguo posita sit, ut criminis probatio sufficientis non reputetur ad condemnationem, minusque ad tormenta, ad quæ non omnino certi criminis purgatio hodie redacta videatur, neque è converso sufficientis adit probatio innocentia, cuius ratione, plena, ac libera sententia absolucionis locus fiat, eadem ex haec tenus deductis, vel cum clausulâ novis non supervenientibus iudicis pro diverso stylo vel praxi concedi soleat.

Iu civilibus autem istud juramentum litis decisiorum, quod etiam pro diversis loquendi moribus, partiti appellatur, quod scilicet auctore sufficienter non probante id, quod à reo sibi deberi supponat, illic offerat, ut juret se non debere, coque jurare non resistante, sibi juramentum sua actionis, vel petitio- nis ad sufficientem probationem referatur; Et è converso id actori, vel creditorio habenti jam certam probationem crediti, offerat debitor, qui solutionem alleget, ita faciendo partitum, dicendo, Aut iura, Aut juro ego, Menoch. de arbitrar. causa 189. Circa. contr. 37. Salust. in prax. lib. 2. cap. 39. Raz dolphin. par. 1. cap. 10. & numer. 117. Cavaler. decif. 82. & 103.

Adhuc tamen modernis temporibus, huius juramenti, fortè nulla, vel nimium rara est praxis, præsertim in rebus gravis momenti, adeo ut pro mea diuturnæ forensis vita curfu, in illis qualificatis Tribunalibus, in quibus pro Curia stylo, solum Advocati (qui re tales dici mereantur) versari solent, non quam viderim causam per hanc viam decidi; Nimirum enim circumspecte in hoc procedendum est, ad duo reflectendo, Primo scilicet, an ex parte proponentis hoc partitum, deducantur adminicula, veritatem per cum assertam verisimiliter suadentia, vel ejus sufficientem, ac probabilem fumum indu-

centia, cum sine his hæc propositio admitti non debat; & secundo reflectendo ad qualitatem persona petentis, vel eius à quo petitur, ne alias fraudibus aditus aperiatur, quia nempe ille versutus, qui à viro timido pecunias vel bona, aut liberationem debiti extorqueri velit, illum provocet ad jurandum cum aliqua extrajudiciali comminatione quærele criminalis de perjurio; Sive quod etiam sine expressa comminatione, qualitas provocantis id time-re faciat, ideoque provocatus recusat, atque locus fiat eius affectato juramento, ad industriam præstando, cum similibus pro facti qualitate; Ideoque merito in usu non est, nisi forte in aliquibus causis inferioribus, que (ex.gr.) in Curia coram Locutente civili Gubernatoris, vel coram simili judge inferiori peragi solent, infra in relatione Curie a-gendo de Tribunalis Gubernatoris Urbis discursus 36.

Atque huius iuramenti purgatoriæ species, in usu quandoque esse solet, ut præstetur, ad quendam juris simplicem præsumptionem tollendam; Ut putata est illud iuramentum, quod præstetur à tertio, quod rem non habeat, neque dolo possidere deficerit, tit. de Regal. disc. 120. & tit. de credito disc. 22. Sive ab herede, quod non habeat aliquas scripturas defuncti, quarum existentia penes ipsum ex iuri præsumptione deducatur, Gregor. & add. decif. 199. Ostob. decif. 43. decif. 70. par. 10. rec. cum similibus.

Pariter pro mea praxi (quæ ut præmissum est in Advocatis, ut plurimum in causis gravibus tantum esse solet) Rarus in Curia est usus alterius speciei iuramenti suppletoriæ, quod scilicet detur in supplementum plena probationis, actionis, vel exceptionis, quæ semiplenè probata sit; Vel quia ob multas limitationes, quas ista regula patitur, raro ad proximis deducibilis; Vel quia ob rationes supra insinuatas, mutationis morum, ac temporum, nimia- que facilitatis iurandi, Tribunalia merito hanc speciem probationis parvi pendeant, quandoque vero admittant facti qualitate, ita exigente, ideoque id certam non habet regulam, sed prudenti Judicis arbitrio est remisum, Cavaler. dicta decif. 82. & 103. Et è contrà Mantic. decif. 6. & 25. & 58. Potissimum quia ob parum commendabilem usum adhibendi iuramentum in quolibet contractu, etiam locatio-nis domus, vel in aliis rebus manualibus, vix dari poterit vir, quantumvis probus, & qualificatus, qui de periurii reatu convinci non valeat, eo quia pro confusa inadvertia, vel ex alio accedenti, punctualiter ac præcisè, non servaverit omnia, quæ in contractibus aliisque conventionibus promiserit, unde propriea inret limitatio, quæ præ careris à DD. datur contra perjurum, ut ad huius iuramenti præstationem admitti non debeat, dicta decif. 70. par. 10. rec.

Facilius vero istud iuramentum in sensu DD. intrat, quando probatio non percutiat substantiam, sed accidentia; Puta quia accidente probatione, quod bona data sint, vel respectivè subtracta, incerta remaneat quantitas, vel qualitas, quæ minorem, ac imperfectam probationem exigit, quoties substantia, perfectè probata sit, cum admittatur probatio, accidentium etiam per iuramentum, supra disc. 22. tit. de cred. disc. 80. 128. & 148. Verum pariter non multum frequenter hoc practicari videtur.

Frequens autem iuramenti praxis in Curia (ad-huc tamen pro meo sensu parum commendabilis,) est illa quæ præstatur per creditorès immisso in sal-viano, super notula per eos exhiberi solita, circa tructus

fructus ex pignore prætorio perceptos, ut infra in huius judicij particulari sede advertitur, *infra in dicitur in quo agitur de iudicio possessorio adipiscenda, ubi de salviano.*

Theoricè sive in abstracto, per ora vulgi Causidorum, magis voluntat iuramentum in item, quod de iure in plerisque casibus, & præsertim contra tutores, & curatores, alioque legales administratores, sive alios quibus eadem congruat ratio deferri solet ipsi Parti interestat; Verum pariter nimium raro ad proximam iste causam deducitur, ut scilicet hoc iuramentum, Actoris petitionem vel intentionem fundet, ob tot requisita, qua desiderantur. Primo nempe ut concurrat impossibilitas vel difficultas probationis, ex dolo, vel factio culpo alterius, quod in tute non conficiente inventarium, neque librum, quandoque verificatur, sed in aliis est difficile; Secundo ut competit persona verisimiliter informata, de eo, super quo iuramentum præstet, vel præstare offerat, ideoque denegatur heredi; Tertio ut præstetur contra ipsum principalem culposum ac informatum, ideoque è converso non datur contra heredem.

Et quartò [ultra alias limitationes collectas per eos, qui huius materiae formalem tractationem agere proficiunt] ut non concedatur facultas iurandi ad libitum, sed præcedat Judicis taxa, quam exceedere non valeat, itaque taxa fieri non solet, nec debet, nisi prævia informatione, vel saltem efficacibus accedentibus argumentis, ex quibus summa taxata reddatur verisimilis, firmando scilicet statum patrimonii administrati, saltem per modum informationis, vel instructionis, ad effectum exinde defumendi, quid, & quantum penes illum remanere valeat; Unde propterea operatio istius iuramenti exigua de facto remanet, nisi aliae iustificationes accedant, licet subiecta materia exigat aliquam maiorem facilitatem cōtra eos, contra quos illi locum esse lex disponit, illud autem non contra quemlibet aliena bona administrantem datur, sed solum contrā illos legales administratores, quorum fidei lex aliquid ex necessitate commisit, quia nempe non posset principali per se ipsum administrare, *de hoc iuramento in item eiusque requisitus, & quibus deferatur, vel contra quos præstetur lib. 7. tit. de tutor. & administrator. disc. 8. & 9.*

Alia species iuramenti est illud, quod confirmativum, seu approbativum auctus dicitur, Itudique est magis usu frequens, adeo ut in abusum devenerit ut supra, quod nempe ferè in omnibus contractibus, vel conventionibus præstetur, quasi de stylo, atque per speciem clausula apponi solite, ac etiam in actibus judicialibus præstetur per principales in exhibitione positionem, vel respectivè in responsive ad eas, aut in notulis, quæ (ut supra,) dantur per creditores admissois in salviano; Sive respectu tertii, in iuramento, quod præstandum est per testes, vel per peritos, cum similibus.

Super hac autem iuramenti specie, (qua tamē hanc judiciorum, vel probationum materiam non percudit,) ubi scilicet agatur de extrajudiciali præstito in conventionibus, pro earum majori firmitate, & observantia, frequentiores in foro audiuntur questiones, st̄ate illa iuramenti operatione, ut prohibiciones & defectus resultantes à jure positivo communis vel municipalis suppletat, vel tollat, ex iuris canonici præcepto, quod illud servari debeat, quoties non sit contra bonos mores naturales, adeo ut absque interitu eternæ salutis servari valeat, sive contra bonum publicum principaliter; An scilicet & quando aliqua ex his limitationibus verificari

dicatur; Sive circa potestatem legis laicalis, qua eius fidem vel operationem adimat; Aut circa eius existentiam, quando virtualiter, & implicitè adsit, ut (ex. gr.) est illud contentum sub formula obligationis cameralis, verū hæc & similia, potius ad contractum, quam judiciorum materiam pertinent, *tit. de dote disc. 143. & tit. de alien. & contract. prohib. & ep̄i. & alibi.* Eatenus autem sub hac judiciali sede cadunt, quatenus contraventio iuramenti producat reatum perjurii, qui repellat a limine judicij, ut supra de hac perjurii exceptione agitur, *supra disc. 20.* Vel quod ipsum iuramentum pro conventionis observantia, vel exequitione, aliquod præstet creditori privilegium, vel inducat rigorem contra debitorem, ut infra advertitur agendo, de judiciis exequutivis, præsertim de illo Ritus M. C. V. Neapolis, *infra in eo disc. in quo agitur de exequitione obligationis cameralis, vel simili obligatio-* nis.

Magis ad hanc materiam judiciale pertinet alia iuramenti species, qua calunnia dicitur, illud, quæ præsertim in usu est in Regno Neapolitan, ubi ac etiam in Curia, confectum est Procuratorum formularium, in generalibus protestationibus, quæ litis initio fieri solent, opponere de huius iuramenti præstatione, adhuc tamen, ex rationibus supra initio insinuat, iste usus parum commendabilis videtur, atque pro meo sensu aboliri deberet, cum transierit in meram ceremoniam, seu formalitatem, neque forte datur casus, ut illius præstatio, terreat, vel avertat à cepte litis prosequitione, qua properet ad aliud non servit nisi ad dandam occasionem peccandi, ac illaqueandi animas, *de hoc iuramento calunnia super promissis Gregor. & add. decis. 157. & 209. decis. 254. post Zacc. de obl. cam. Cels. decis. 92.*

Super istius autem iuramenti defectu, quæstiones cadere solent, an exinde iudicij seu actorum nullitas resulset, atque ubi de illo expresse oppositum sit, aliqui credunt nullitatem resulsetare; Verum pro meo iudicio, est idem indiscretus rigor leguleicus, qui calumnias potius aditum, seu fontem præstat, dum (ut præmissum est) iuramenti præstatio redacta est ad meram formalitatem, neque unquam præxis docet illam operationem vel proficuum efficiendum, ad quem est introductum; Unde meritò in plerisque tribunaliis & locis, quamvis pro conuento formulario de illo obiciatur, recentis ab aula, atque præsertim in Rota, quando constat de bono iure, illud negligi solet *ibidem proximè supra preservatim Cels. decis. 92.*

Sub ultima demum superius distincta specie iuramenti, quod fidei seu auctorizationis dicitur, cadere videntur omnes illæ species, præter expressas, quas in iure vel in usu habemus, ut putat, est iuramentum fidelitatis, quod vassalli, dominis præstant, vel subditi superiori, aut illud pacis vel foederis, tam inter Principes, quam inter privatos, sive illud, quod sub nomine iuratoria cautionis in iure exprimitur, quo pro casuum, ac personarum qualitate, vicem fidei sufficiat, quandoque habere solet, aut illud quod per officiales, ac alios alicui muneri præpositos præstandum est in muneris susceptione super illius recta administratione, ut in omnibus ditionibus praxis docet in iis, qui Magistratus etiam maiores gerant, atque in Curia praxis docet in ipsomet Papa & Cardinalibus, & habetur præsertim in examinatoribus Synodalibus, cum similibus, de quibus in suis sedibus sparsim.

Ac etiam à fisci Administratoribus, vel Appaltatoribus exigi solet iuramentum in redditione rationum

20 tionum, vel in exhibitione computorum, ad effec-
tum eos coercendi cum gravibus peccatis, quando
computa minus fideliter dentur, ut in sua materia
advertisitur: tit. de Regal. dicit. 119.

Alia vero, qua hanc iuramenti materiam con-
cernunt, an scilicet supplet duos defectus; Sive
quam operationem habeat illud implicitum, quod
inest obligationi camerali, aut an contineri dicatur
in illis verbis, quod promissio habeat vim iuramen-
ti, seu actus iurati; Seu an & quomodo transeat ad
heredes, & similia; Contractuum, & obligationum,
vel crediti, seu alienationum materiam potius con-
cernant, quam istam iudicialem, ideoque in suis
contraeuum, & alienationum, vel crediti sedibus
cadunt.

De instrumentis, & aliis publicis do-
cumentis, eorumque fide, circa
substantiam, id est falsitatis, vel re-
spectivè sinceritatis, & veritatis qua-
litatem.

S V M M A R I V M.

- 1 Instrumentum publicum facit probationem proba-
tam.
- 2 Quod modis instrumentum esse soleat falsum, vel al-
teratum.
- 3 Quid posuit Notarius addere instrumento, vel protho-
collo, quod non sit in matrice.
- 4 An requiratur certioratio partium super vi & ope-
ratio clausularum cum distinctione inter substan-
tialia, & accidentalia.
- 5 Quando etiam in accidentibus debet fieri certiora-
tio, vel fieri non posuit additio.
- 6 Ad quid attendatur, an dicta additio sit dolosa nec
ne.
- 7 De casu falsitatis sine culpa Notarii, nec testi-
um.
- 8 De suppositione personae contrahentis.
- 9 De alia suppositione persona testatoris.
- 10 De falsitate commissa à tertio per imitationem ma-
nus Notarii.
- 11 De alia falsitate circa assertionem contrahentis, qui
afferat se patrem familiæ, vel maiorem, cum non
sit talis.
- 12 De suppositione scripturarum in archivis, vel publi-
cis locis.
- 13 In dubio presumptio absit veritati, & resistit fal-
siti.
- 14 An, & quando sola suspicio falsitatis habeatur pro
falsitate.
- 15 De eodem, & declaratur.
- 16 quando sit vitium intrinsecum, vel extrinse-
cum.
- 17 De apofillis, vel superadditionibus, & an requiratur
subscriptio Notarii.
- 18 Quomodo proberetur falsitas.
- 19 Quomodo differendum sit doctrinis in hac mate-
ria.
- 20 Verisimile, vel inverisimile in hoc nimium atten-
ditur.
- 21 Quando non reperitur matrix, vel prothocol-
lum.
- 22 De diversitate instrumenti à prothocollo, vel matrice,
qua instrumentum contineat ea, que non sint in
matrice.

- 23 An debeat constare, quod clausula adiecta sint de vo-
luntate partium.
- 24 De casu in quo non licet Notario addere, neque ac-
cidentalia.
- 25 De eodem, & quomodo verborum, vel clausula-
rum amplitudini deferrat, dantur exempla.
- 26 De eodem circa clausulas opponi solitas in testa-
mentis.
- 27 De discrepantia inter instrumentum, & matricem
circa substantia.
- 28 Quid si super eodem actu Notarius det duo publica
instrumenta inter se diversa.
- 29 Quid isto casu sit faciendum, & quomodo deferrat
debeat matrici.
- 30 Nimirum cauila sunt suspectæ.
- 31 De opinione quod neutri deferatur, quomodo intelligi
debeat.
- 32 De qualitatibus quas debet habere iudex, & quomo-
do in hoc se gerere debat.
- 33 De differentia in iure forenses, & scholasticos.
- 34 Quid potius instrumento publico, quam copia deferrat
debet declaratur.
- 35 De opinione quod in instrumenta, debet deferrat
magis extenso, vel magis pingui.
- 36 De eodem, & quando id procedat.
- 37 Quomodo in hoc sit procedendum in iudicando.
- 38 Quid si matrix reperiatur cancellata, vel cum ali-
qua annotatione praedictivali, per Notarium viven-
tem.
- 39 Quid notario defuncto.
- 40 De discrepancia inter Notarium, & testes instru-
mentarios, vel testamentarios.
- 41 De aliis generalitatibus in hac materia.
- 42 Ad quos recurendum sit.
- 43 De Discrepancia inter instrumentum, vel capitula, seu
aliam scripturam partium, cui potius deferendum
sit, &c.
- 44 Condemnatio, vel inquisitio Notarii de falso tempo-
re, an præjudicet instrumento.
- 45 An eiusdem Notarii confessio præjudicet.
- 46 De suspicione ob locum, in quo reperta sit matrix.
- 47 Quid si testis neget interfuisse instrumento.
- 48 De discrepancia inter annun, & inductionem.
- 49 In concursu conieclurarum, & argumentorum re-
manet firmum instrumentum &c.

D I S C . XXVI.

Ista species probationis per instrumentum pu-
blicum, magna in iure reputatur: unde propterea,
per ora forensium, quotidiana voluntat propositio
ab antiquioribus tradita, quod instrumentum facit
probationem probatam, & rem claram, ac manife-
stam, Gregor. decif. 180. Cavaler. decif. 206. Franch.
decif. 276.

Aduic tamen, posita eius publicitate, sive (ut
nostris dicunt) forma probanti, cum omnibus requi-
sis, quæ de iure, vel de stylo desiderantur, falla-
cias possibilis inest, ut instrumentum minus vera
contineat, idque pluribus modis sequi solet, ac po-
test; Primum nempe ex culpa, & machinatione No-
tarii, & testium, ut contingit in instrumentis vere
falsis, quoad substantiam contractus, quia nempe
conficiatur à Notario cum testibus instrumentum
verum super actu non vero; Secundò cum culpa
Notarii, non autem testium, super falsitate non om-
nimoda, sed in parte, quia nempe initio actu vero,
coram Notario, & testibus, Notarius sive in matri-
ce, sive in prothocollo, vel in publico, veritatem al-
teret, ac diversimodè actum extendat, circa substan-
tialia, ad quæ eius potestas non extenditur;

Quamvis